53

13.



DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ,

Orthodoxorum Medicorum Patrono.



QUÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS, manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis quartâ mensis Martii, anno Domini M. DCC. XLV.

M. JOANNE-FRANCISCO COUTHIER, Doctore Medico, Præside,

M. ANDREÆ-JOSEPHI SERON, Doctoris Medici, vices gerente.

An aër & victus Gandavensis, Parisiensibus?

I.



VIVENDI diù & salubriter, conservatrix hygieine, medendi artis & scientiæ pars non infima, tradit præcepta. Munus sanè beneficum præstat. Si prophylactica Medicina ab ea quæ tota in morborum curâ occupatur separari posset, palmam *Hygiasticus* jurè tolleret Medicus: potior est hic qui aëris, ciborum & potuum exquisito selectu, immunem à morbis vivendi rationem sufficit, quam ille qui ingratorum & nauseabundorum medicaminum auxilio præsentibus ægritudinibus occurrit. Juxtà temperamentorum naturam ex solidi & fluidi habitu dirigi debet sanorum victus: ne tamen ab ægrotantium diætâ multum dissidere, credas? Ut in statu sano conservetur & lapsum restauretur vivens humanum cor-

pus, eadem ejus naturalis fabricæ cognitio necessaria est, fibræ motricis & liquorum varii modi, functionumque mechanismus percipiendi sunt & intelligendi; & ex recto harum rerum ordine jubetur victus; ex inverso, diæta imperatur. In infirmorum diætâ, à sanorum victu, nomine magis quam re diversâ, innumera restituendæ sanitatis exstant adminicula. Nonne sagacitas, gloriaque major, auxiliis è rerum non naturalium sinu depromptis morbos debellare & à telis inter chymicorum ignes exacuatis, aut è Galenico armamentario eductis medicaminibus miseros ægrotantes vindicare, quæ liquorum crasim diruendo & solidorum diathesim potenter concutiendo, nocumenti nonnihil inferunt. Medicamentorum farraginem pelle & ejice. Aëris, alimentorum, potuum, & aliarum rerum non naturalium optione, permultos præcavebis morbos & curabis. Ne tamen esse in animo cogites, de medicamentorum necessitate quidquam detrahere? Ipsis infusa est cœlestis virtus. Morborum causæ ita inhærentes, implicitæ, & tenaces sunt aliquandò, ut absque potentiori pharmacenticâ supellectili disturbari nequeant. Hæc dicta sunto ut quisque intelligat, quantùm uniuscujusque aëris, alimenti & potûs notitia Medico expediat ut plurimos antevertat morbos, multos depellat.

I. I.

NON multum sanè profeceris, si aëris temperiem, alimentorum indolem, potuumque uniùs regionis consecutus fueris. Non omnem movisti lapidem, dùm temperamenta, eorumque varios habitus non dignoveris: ex eorum enim scientiâ, & accuratâ distinctione, justam proportionem, legitimamque aëris & victûs convenientiam Medicus æstimat. At tanta aëri vis in alimentis, potibus, & temperamentis inest, ut ad eorum indolem & constitutionem plurimum conferat. Totum terræ tractum ambit aër, non idem in omnibus regionibus, in unâquaque suas vices patitur, singulisque tempestatibus mutatur. Sic humidus, siccus, frigidus, & calidus est. Nativâ locorum perversitate alterationes quandòque maximè noxias contrahit. Paludosi, minerales, salini vapores, arsenicales, sulphurei eum inficiunt; in ejusque elasticarum partium interstitia sese insinuant miasmata deleteria: undè licet quoad simplices partes elementares ex naturâ suâ non sit noxius, diversa tamen est ejus conditio & actio contentorum respectu. Heterogeneis aquarum stagnantium, aut mineralium, & sulphurum miasmatis onustus & gravis aër, nerveam membranaceamque pulmonùm substantiam pungit, vellicat, & irritat. Asperè tactis nervosi plexùs thoracici, paris vagi & intercostalis ramis, omnis fermè animalis subvertitur œconomia. Corporis habitum suâ gravitate nimis comprimendo, vel deficiente ex nimiâ levitate, pressionis momento, lædit: expanditur enim sanguis ultrà modum, aut coarctatur, & cum externo aëre non sit *æquilibris*. Ab aëre eandem imbibunt labem animalia & plantæ. Spirant animalia quæque, suis quoque trachæis spirant plantæ: in abditiora plantarum gliscit aër, cum succo terræ alimentario ad arborum, plantarumque intima penetrat: & quam adeptus, malignitatem impertitur. Ad ventriculum & intestina vectus cum suo inquinamento, ibi explicatur, lethiferos ventriculi & intestinorum morsus gignit; octavi paris lacessitis propaginibus, cardialgiæ, cum torminibus & syncope sunt sequaces. Affectus ex aëre prognatos qui numeraret, in dicendo esset infinitus. Purus licet aër, alimenta sincera, & potus sint innocui, non omni tamen temperamento indiscriminatim conveniunt. Certa & determinata in quolibet individuo solidi & fluidi datur proportio, ratione cujùs exercentur functiones, hæc temperamentum dicitur.

Modus ille solidorum & fluidorum in omnibus regionibus à cœli temperie, ab alimentorum indole, & potuum qualitate pendet. Pro natali fibræ & solidi dispositione inest in quâlibet gente, & in quolibet individuo determinatum temperamentum: cujus respectu, aër subtilior aut crassior, calidior, aut frigidior, temperatior, aut acrior, cibi leviores aut duriores, humectantes aut sicci, potus aquei simpliciter, aut incrassantes, generosi aut spirituosi conveniunt.

I I I.

NON potest rerum institui comparatio, ni primùm generalis earum habeatur notitia; quamobrem quædam in genere de aëre, cibis, potibus, & temperamentis præmittere libuit. Hæc est tuta detegendæ veritatis via; eâ Duce quænam sit prædictarum rerum constitutio Parisiis, quæ *Gandavo* elicietur. Juxta vigesimum quintum latitudinis gradum sole irradiatur urbs Lutetiæ Parisiorum, ad occursum sequanæ & matronæ fluminum famâ celebrium conditæ, cœlo clemente beatur, fermè in Galliarum medio posita, inter cæteras urbes princeps assurgit. Statis tempestatum vicibus quasdam mutationes quisque annus infert, quandòque humidiores, ficciores, frigore rigidiores, & calore adustiores sunt tempestates. Inter carnes apud laniones emptas, ex generali omnium consensu, Sapidior & Tenerior Bovina. Volatilia & quadrupedes sivè domûs, sivè ruris, sivè sylvarum incolæ ibi inter escas frequentiùs apponuntur. Legumina, radices, plantæ sativæ, fructus omnes præcipuè horæi tantùmdem palato arrident, quantum ventriculo favent; horum solutionem optimè promovent fluvii indigena pocula; Digestionem Generosa & grata Burgundiæ, adjacentiumque provinciarum, quin & quædam in Parisiensi suburbano agro vina ad solis aspectus enascentia & collecta blandè juvant. In hisce alimentis, & potibus tum à terræ naturâ, tum à solis calido & benefico aspectu insitus vigor. Nativo & felici principiorum connubio in sanguinem sales fixi volatiles, sulphura crassiori terræ nexu soluta transfunduntur. Hinc sanguinis fluiditas, succi nervei mobilitas, nutritii dulcedo, bilis activitas, perindè constans & vegetus solidorum elater deducuntur. Vini vehiculum sequana, suo sale neutro licet paucissimo diluit, aperit, refrigerat, & laxat. Quæ in alimento & potu clementia insita est, eadem in Parisiensium temperamento, inclinationibus, & moribus elucet. Non proceræ sed concinnæ sunt staturæ, tenuis est ossium compages, non crassis adeò tendineisque donantur fibris, ac septentrionalium plagarum incolæ, nec cœli inclementiis laborumque asperitatibus ferendis ità idoneos esse existimes. Eis inest menbrorum levitas, flexilitas, agilitas, & dexteritas: vivida imaginatio, expedita memoria, promptus sermo, &c. Ab aëris, alimentorum & potuum indole, mores & temperamenta evolvuntur. Idcircò in quantum aër & victus *Gandavensis* ad norman *Parisiensis* effictus est in tantum ipsismet *Parisiensibus* conducere ex sequentibus Disce.

I V.

GANDAVUM Civitas situ munitissima, inter maximas Europæ urbes jurè numeratur, Tanta est urbis amplitudo, ut tria Germanica in ambitu milliaria continere à multis dicatur. Quatuor fluviorum Scheldis, Lisæ, Liviæ, & Moreæ adventu & confluxu spectabilis. Pontes octoginta habet. Aërius tractus humidus, nubibus continuò fermè velatur, pauci sunt lucidi dies, Aquarum frequentiâ

& paludibus in auras attolluntur vapores qui aërem gravant, noxii in terram præcipites ruunt. Pluviarum crebritati ſanitatis tutelam Medici quibus publica *Gandavenſium* ſalus committitur, tribuunt. Bovina caro ſine ſapore pinguis, vitulina albedine, teneritudine, voluptuaria eſt eſca. Ovilla guſtu gratiſſima eſt. Aves & quadrupedes in comitatu Flandriæ non degeneres; cum *Lutetiâ* multitudine, & excellentiâ piſcium omnis generis certat *Gandavum*: ſua laudat legumina, radices, herbaſque ſuas. Familiaris in Comitatu Flandriæ, & Brabantiæ Ducatu cereviſia â cerere, ſeu vinum hordeatum; unicus eſt apud Plebeïos potus. Divites verò quibus Lautiùs vivere placet ſub finem cujùſque menſæ vini albi Andegavenſis aut Turonenſis quod apud Belgicos populos denegatum cyathos aliquot ebibunt. Suam Cereviſiam conficit urbs quoque & prædicat. : quædam generoſa apud *Gandavorum* nonnullos ad plures annos ſervatur, eaque infirmis & valetudinariis tanquam reficiendi capax antidotum in munus habetur & præbetur. Eſt & tenuis cereviſia quæ humectans credita pro potu inſtar ptyſanæ ægris conceditur. His ſubditis modis *Gandavenſis* aër & victus Pariſienſibus convenit.

V.

NUNC aſſertionis noſtræ veritas facilè eruitur. Equidem in utrâque tum *Pariſiorum*, tum *Gandavi* regione eadem fermè tempeſtatum viciſſitudo, nec temperiei ratione multùm inter eas diſcriminis: in eò ſolùm modo, quod *Pariſiis* intenſiores, Gandâ remiſſiores ſint calores, diſcrepant. Utrobique hyemis tempore frigus, neutrobique urgentiùs diſtinguitur. Veris & Autumni par amænitas. Duo & ampliùs quid latitudinis gradus non multùm ſolis benignitatem minuunt aut mutant. Aërem in Belgio Auſtriaco mitigavit natura; alimenta & potus emendavit ars; his innoxiè ulteriùs uti poſſe Pariſienſes, probat temperamentorum proportio. Ex dictis patet quantus aëris & victus Gandavenſis cum aëre & victu Pariſienſi conſenſus, quanta morum, inclinationum, & temperamentorum ſit conſpiratio. Huc itaque vos Pariſienſes accedite, ſi in ſuaviſſimam regionem peregrinari ſit mens. Urbs Gandavum noſtrique Gandavenſis vobis placebunt.

Ergo aër & victus Gandavenſis, Pariſienſibus.

Proponebat Pariſiis, DIONYSIUS-PAUTIER DE LABREUILLE, Inculiſmenſis, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Pariſienſis Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. 1745, à ſextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1745.